





1763, No.

A 2

FIDELITAS AC COMMENDATIO

PRIMA FOEDERIS FORMVLA

IN PROPRIIS ET FISCALIBVS BONIS

266

PROLVSIO

QVAM

ORATIONI ADITIALI

A. D. XXIII. MART. A. S. MDCCLXIII. HORA IX.

IN AVDITORIO PETRINO

RECITANDAE

PRAEMITTIT

D. CAR. RVDOLPH. GRAEFE


IURIS FEVDALIS PROF. PVBL. ORDINARIVS

SVP. CVR. ET CONSIST. ADVOCATVS

LIPSIAE

EX OFFICINA BVSCHELIA.





Etiam si nihil sit in rebus humanis quod non feriat atque invertat temporum vicissitudo; nec adeo disciplina vlla quae carere facile possit historiae et antiquitatis lumine, hoc tamen litterarum auxilio recte ac diligenter vtendo prae aliis incumbere debent iuris studiosi, non eo solum quod constat inter omnes, mentem legis et rationem intelligi non posse, ignoratis iis quae cum lege erant et cum auctore eius, sed propter eam maxime quae est omnium in qualibet ciuitate legum coniunctionem ac perpetuam successionem. Scilicet transformata cum seculo reipublicae facies, noua instituta populique mores subinde mutati non possunt non aliam ferre legum ac iudiciorum formulam, neque tamen omnino nouam: Suadent potius antiquam non nisi temperare et ad vsum temporis vel occasionis deflectere, vt obiectis rebus respondeant. Meminimus adeo in regnis funditus euerfis, et victoriae iure occupatis populo pristinas leges et magistratus suos vel horum saltem imagines prudenti consilio relinquui, quin quandoque recipi a victoribus ipsis.

A

Prae-

Praetermissis exemplis ab historia Graeca et Romana petendis propius ad originem nostram pertinet, quicquid egerunt Clodouaeus et Carolus magni in vtraque Francia imperii assertores, quomodo versati sunt cum Gallis, Romanis, Saxonibus et quotquot illi gentes aut subiectas haberent, aut dispari foedere iunctas. Equidem nolim temere sectari disciplinam eorum, qui legum ferendarum populique regendi consilia cum iuris constituti scientia commiscunt; qui ciuilem prudentiam omnemque πολιτείαν referunt ad iuris publici notionem vagam illam latiusque iusto patentem: Francogallis plerisque hoc inprimis solemne est, vt nimis indulgeant ingenio quisque suo: neque tamen ab hoc loco admodum aliena putauerim quae pro more suo subtiliter satis et copiose disputat anonymus auctor *Originum Franciae* * in praefatione praesertim, neque indignum iudicauerim inde describere vnum alterumue locum idoneum, quo vel cupiditas incendi possit legendi operis multorum manibus nondum versati: *La possibilité des changemens physiques et moraux fonde la nécessité d'un pouvoir législatif: elle en détermine aussi l'objet - - Il n'y a jamais eu un seul gouvernement, qui soit resté constamment le même - - dont une loi générale et unique ait tellement fixé la constitution, qu'elle ait rendu inutiles toutes celles qui l'avoient précédé et la législation elle-même: - - et il n'en est aucun, dans lequel il se soit opéré des révolutions subites; des révolutions qui n'eussent point été préparées, ou par la corruption des mœurs, ou par l'altération des anciennes institutions, ou par la promulgation de quelques loix, dont on n'avoit pas prévu toutes les conséquences - - Les conquêtes mêmes n'opèrent pas toujours des révolutions dans les loix et dans les mœurs des peuples conquis; - - les administrations par-*

* *Les Origines ou l'ancien gouvernement de la France de l'Allemagne et de l'Italie etc. Disc. prelim.* Ibi dum auctor promittit l'analyse et la combinaison des loix primitives, par lesquelles ont été gouvernées la France etc. l'origine de leur constitution présente et l'esprit de leurs anciennes coutumes etc. laboris sui euentum ipse videtur diuinando assecutus esse: j'ai taché de tracer la route, si je me suis égaré, j'aurai du moins fait voir que l'on peut marcher.

particulieres, les coutumes locales, les loix civiles attirent rarement l'attention du conquerant, sur-tout lorsqu'il trouve une constitution qui lui est favorable: ce sont des chaînes, auxquelles il trouve la nation habituée et dont il se sert bien loin de les rompre. Paucis interiectis des loix faites au hazard, ou se trouvent autorisés les partis les plus opposés, factaque idonea comparatione, qua populum assimilat nauiganti qui rapidum itineris cursum et praeteruectas oras vix animaduertit, politicum autem rectori nauis fixos seruanti in templis coeli indices, ita demum concludit: Dans chaque Etat il faut sçavoir ce qu'il a d'abord été et le comparer avec ce qu'il est actuellement: - - Tel est l'inconuenient d'une legislation qui ne ramene pas les choses a un principe unique et second: elle se perd dans le detail, fatigue le legislateur, accable le legiste, liure le citoyen a l'ignorance et le rend la proie du magistrat prevaricateur et du Cte intéressé: - - des suites facheuses de l'oubli de la constitution primitive. - - Malgré toutes les loix nouvelles qui ont signalé le zele ou qu'a produites l'ambition des nouveaux legislateurs, cet oubli jette encore sur la constitution une obscurité tres favorable a la mauuaise foi des Publicistes qui se terraissent reciproquement: Ils citent tous des faits, d'où ils tirent des inductions contraires et au milieu de la confusion que produit une erudition incertaine, le lecteur raisonnable ne fait plus que douter. Equidem nollem hic in exemplum vocari patriam et iurisprudentiam nostram: Quo iure id fecerit laudatus auctor, aliis iudicandum relinquimus solertibus atque peritis istarum rerum aestimatoribus. Cum autem manifestum sit, nullum aliud facile regnum tot tantasque tulisse vicissitudines et inclinationes temporum, neque ciuitatem aliquam inueniri posse subtiliori artificio compositam, nobis omnino conuenire videtur, in his maxime muneris et disciplinae auspiciis, vt exemplo quasi et prolusione aliqua proponamus atque commendemus originem iuris nostris sedulo indagandam. Hinc vbi apparebit beneficiis ac honoribus primum allectos atque obstrictos fuisse nobiles singulos ipsosque populorum principes atque

rectores, illis autem hereditariis factis eundem nexum per feuda minora et oblata, extirpatis fere allodiis, propagatum esse in vniuersos ingenuos qui soli erant regnorum et prouinciarum ciues: tum quoque confectum erit, ius feudale cum reliquo communi, s. prouinciali quod aiebant medio aeuo, arctissimam habere coniunctionem, quinimo hanc ipsam esse partem praecipuam iuris patrii tum priuati cum maxime publici, aequae ac Senatorium illud * apud Romanos: Constat etiam fidelitatem ibi dictam initamque in speciem foederis primos peperisse subditos et fundasse imperium: vti recte obseruat Bodinus: ** *Francos dominatum rerum omnium sic occupasse, vt nemo terras glebam nisi eorum beneficio possideret.*

Non est quod haereamus in vocabulo, cuius vsum vix attingere Seculum XI, plerique consentiunt dubiam subodorantes fidem Constitutionis ejus de expeditione Romana *** Carolo Crasso perperam adscriptae, neque in etymologia vocis quam alii deriuatam volunt a militia s. *faida*, quasi *veegoet*; deinde ab usu ejus precario *leengoet*, et ab ipso fisco *fief* dictum esse, † plerique compositum ex *se-od* quod igitur male scriberetur *foedum* s. *phoedum* apud Albertum Stadensem aliosque nonnullos annalium auctores. Ipsius instituti originem quaerimus et occasionem, quam nec temere quidem neque tamen adeo accurate a primordiis imperii inter Francos repeti videmus atque deduci. Scilicet regnantibus Meroveis satis celebrata sunt bona *de mune-re regio* apud Marculsum praesertim, labenti istorum imperio proximum, et Gregorius Turonensis Episcopus ††) quem ipso
Mar-

* PLINII *Epist.* 14. *Lib.* VIII. lectu dignissima.

** *Lib.* II. de *republ.* cap. 2. Omitto autem Longobardos quos magis probabile est Carolinis legibus feuda accepisse antehac autem cum Gothis et Romanis consueuisse victis populis partem eripere bonorum, partem relinquere vectigali imposto.

***) V. SCHILTER ad cap. 8. *jur. Alem.* §. 10.

†) WENDELIN et DV FRESNE *Gloss.* v. *beneficium, fifeus, feudum.*

††) *Lib.* IV. *Annal.* c. 39. *Lib.* V. c. 3. *Lib.* VIII. c. 21. 22. et *lib.* IX. c. 38. vbi memorantur exulibus ablatae res quas a fisco meruerant: restituta autem, quae propria habere videbantur.

Marculfo superiorem recte dixeris cum Valesio historiae Francicae fundum, res et villas commemorat *de fisco* merendas. At aevo Carolino maxime celebratus est titulus *beneficiorum*. Praetermissa enim minus tuta fide Aimoini * aliorumque recentiorum, quibus auctoribus traditur Chlodovaeus Milidunum castrum Aureliano cum ducatu regionis jure beneficii concessisse, in Capitularibus frequentissima occurrit mentio beneficiorum et datorum quidem a seniore fidelibus suis atque vasallis. Jam regnante Pipino disertis verbis talia proponuntur in Capit. Compendiensi an. 757. et in Capit. Caroli Calvi Tit. XXXII. alodes opponuntur bonis, quae de *nostra donatione* venerunt. In legibus aliquot populorum quibus vel propterea communis feudorum adscribitur vsus, Bajuvariorum inprimis Burgundionum et Alemannorum commemorantur *donatus dignitatis ipsius ducati et largitates regiae* fide servandae; itemque in Constitutionibus quas ad Leg. Longobard. Lib. III. Tit. 8. de *beneficiis et terris tributariis* retulit Lindenbrogius; unde plerique concludunt haec esse beneficia, quibus deinde successerit feudorum appellatio sub Ottone I. aut Conrado Salico. Atenimvero si in vaga illa beneficiorum ac munerum idea subsistas, verendum est ut argumenta illa longe sint firmiora conjecturis eorum qui sub Imperatoribus Romanis Seculi III. feudorum originem reperire putant, quod illos meminerunt, Lampridio Vopisco et Zosimo auctoribus, agros de hostibus captos limitaneos praesertim inter veteranos et gentiles sub lege militiae distribuere, aut inter Soldurios Gallorum quos Caesar laudat fidelissimos illorum sectatores quorum amicitiae se dedidissent. Scilicet a legis definitione pendet omne institutum civile et si omiseris recentiorum illam quae inter Longobardicas est Conradinam legem,

A 3

ex

* Lib. I. cap. 14. cf. ALTESERRA *Orig. Feud.* cap. 1. De ipso autem Chlodovaeo, quo ingenio fuerit et quibus artibus ille parauerit imperium, egregium specimen habetur in narratione illa Gregorii Turonensis *Lib. 2. c. 27.* de insolentia militis frenum mordentis, quem solum praedae communis et fortis aequalis adferentem rex dissimulata ira patienter ferebat, servata autem occasione et leui culpatione obiecta icu furui impune trucidabat.

ex monumentis coaevis non apparebit, beneficia ista aetatis Merovaeae et Carolinae certo ac perpetuo iure constituisse. Precaria erant solique dominorum arbitrio subjecta: revocari poterant quodocunque libuerit, etiamsi id facile non fieret sine aliqua culpatione: ad heredes autem numquam transibant, nisi ex nova largitione; et cum ipsius donatoris sit quem modum velit esse beneficii sui, omnis arbitraria erat ac indefinita istorum hominum obligatio. Praeterea satis naturale est, munera proficisci posse a locuplete quovis et libero rerum suarum domino: ita beneficia invenimus suscepta ab ecclesiae pastoribus in Leg. Alemann. Tit. 2. et veri est simillimum ipsos non solum duces et comites de majoribus istis beneficiis particulam unam alteramve in speciem subfeudi aliis elocasse, sed liberos etiam dominos qui Fredegario dicuntur Farones apud Hincmarum aliosque frequentius Seniores et Majores addictis hominibus suis et junioribus beneficia dedisse minora et usumfructum sub placitis quibuslibet legibus. Etiamsi dicamus beneficium *fiscale* esse, de quo quaeritur, res nondum erit expedita, et Thomastius, quem alioquin merito collocatum inter ICtos principes, neque in hoc genere multis putamus inferiorem, in eo nobis non probatur, quod novam rerum divisionem in allodiales atque feudales et antiqua illam bonorum fiscalium ac propriorum, cum Schiltero habeat pro aequipollentibus. Ne enim dicamus fisci usum ejusque jura ad ingenuos omnes transiisse qui praedia haberent cum jurisdictione, quod saltem adeo antiquum non est, quandoque videmus fiscalia bona et beneficia in proprietatem et hereditario jure concessa, apud Marcellum * inprimis: usumfructum autem agrorum fiscalium aequae ac priuatorum servis et colonis regis pro censu elocatum, et si haec quasi *fiscalina* distinguas a *fiscalibus* neque beneficiorum nomine venire contendas,** hoc ipso tamen confirmatur magis quam refellitur, res omnes de

* Lib. 1. form. 13. et 17. itemque in Leg. Burgund Tit. 1. §. 3. 4.

** THOMAS. Hist. iur. feud. §. 25. 33. et 37.

de fisco alienatas, vel regis munificentia acceptas, fisci nomen feruasse: at eas omnes in vsumfructum vel stipendium militare neuiquam esse concessas, itaque verissimum esse differre nonnihil et longe latius patere tum fisci, cum maxime beneficii titulum atque significatum. * Idem fere dicendum est de allodiis, quorum denominatio perperam creditur ad fundos proprios omnes, imo ad vniuersam hereditatem pertinuisse. Equidem manifestum est, Taciti aetate ante Imperium et fiscum fundos omnes, quod occupationis iure optimo maximo tenerentur, neque alius daretur acquirendi modus, proprios fuisse et nullius beneficii debitos heredibus cuiusque suis certissime permanfuros: Neque negabo promiscuum vocabulorum vsum in eo significato quo beneficiis opponuntur et fisco. Dabo etiam recentiori maxime aevo, quod tulit nummorum vsum et quaestum municipalem, quo feudorum minorum ac ablatorum frequentia tantum non omnino extirpavit allodia, ignorari fere apud vulgum nec quotidie occurrere distinctionis usum, itaque factum esse *κατὰ τό πλεῖστον* verum esse, quod Speculator proponit: ** *Mit welchen Guth der mann erfirbet, das heist alles erbe, es sey denn lehen*: Neque tamen hoc semper, neque antiquitus verum est. Prater vnum alterumve locum in Capitularibus Caroli Calvi Tit. XXXII. vbi comparata bona et hereditaria alodium nomine comprehendi videntur, in reliquis omnibus et in formulis Marculfi alode semper distinguitur a bonis aliunde acquisitis. *** Plerumque diferte dicitur alode *parentum* vel *de hereditate* esse, quo quidem epitheto non speciem diuersam significari sed naturam subiecti vel ex eo manifestum est, quod numquam reperiat alode de conquisitu l. de quolibet adtractu. Quae paterna habetur alode

* *Orig. de France Lib. IV. c. 1. sub. fin. et cap. 2. vbi plura enumerantur beneficiorum genera additis fundis limitrophis et legibus Romanis vnde feudi idea fuerit collecta.*

** *I. P. S. Lib. I. art. 5. sub. fin.*

*** *Lib. I. Form. 12. 33. Lib. II. Form. 4. 6. 7.*

de terra in lege Salica, aviatica dicitur in lege Ripuariorum: * neque crediderim difficultatem aliquam vel dubitationem superesse in bonis Salicis, quibus satis demonstratum est ** significari mansum dominicum, terram quasi palatinam ad salam s. curtem domini pertinentem de quibus pro censu non elocatis dominus ipse percipit fructus. Haec igitur terra Salica alius etymologiae, quam qua dicitur legis Salicae Pactus et bona trans-salana apud Auctorem Veterem de beneficiis, feudo accedere potest atque allodio: Allodiam autem intelligendam esse, vbiunque sermo est de hereditate non est quod amplius moneamus. Praeterea apprime convenit qui allodiis semper fere tribuitur hereditatis titulus dum ea non solum accepta essent à maioribus sed etiam ad posteros transmittenda. At non crediderim inuersa ratione omnem hereditatem dicendam esse allodium. Alode terra est s. proprius fundus quem antecessores tenuerunt nullius beneficio et nobis in alodem reliquerunt; *** Rerum mobilium in legibus et monumentis antiquioribus nulla fit mentio: Servi enim rusticolae et pecudes et instrumenta rustica ad fundum ipsum pertinebant et cum hoc in aestimationem veniebant, quod etiamnum testantur tributorum rationes; et praeter haec fundorum accessoria Germanis non esse poterat nisi curta suppellex ante pecuniae usum et quaestum municipalem. In celebrato illo loco L. Angliorum et We-rinorum primo omnium commemoratur vestis bellica quae cum terra ad filium, vestes matris et inares et spolia colli quae ad filiam pertineant. Hoc maxime interest inter jus provinciale et municipale quod ibi quicquid de bonis proponitur siue propriis siue commodatis nisi diserte loquantur mobilia et acqvaestum

(gerü-

* Sub Tit. *de alodibus*, et nimiam vim fieri putamus isti loco apud Thomastum dum pro aviatica legit Aduatica.

** ab Eccardo *ad leg. Sal. et Francogallo* nostro, neque digna tanto viro putaverim argumenta quibus contra Eccardum pugnat HEINECC. L. II. *Elem.* I. G. §. 14. in not.

*** BALVZ. T. I. *Capitul.* p. 153. et 464.

gerüthe errungenschaft und fahrniß) semper intelligendum sit de fundis, et ingenuorum quidem ad quos spectat omne jus ciuitatis. Commune autem id habere videntur acquisita et allodialia bona vt bona propria aeque ac vitam * nullus perdat sine capitale crimine. Iam puto concludere possumus secundum Bignonii ** sententiam magis probabilem: Proprietatem et fiscum, hanc esse maximam omniumque primam bonorum diuisionem vnde reliquae omnes tanquam a communi stirpe descendunt et rectius distingui *lehen und eigen* quam *lehen und erbe*; quod extremum non nisi ab accidente dicitur modo de fundis acceptis hereditate, modo de transferendis, imo in iure municipali de vniuersa hereditate: ne dicamus vocabulum *lehen* dum in significato grammatico et iuridico ad locata et commodata et mutua omnia pertinet, aeque late patere ac supra obseruauimus de beneficiis neque ea semper esse de fisco. Scilicet fisci ideam, proprie significantis sportam pecuniae cohibendae fisis viminibus nexam, reges Francorum a Romanis Imperatoribus acceperunt, quorum exemplo domum fiscum et arcam fiscalem quasi rem suam priuatam secernerent a publico. Illi autem fisci instituendi atque locupletandi primam occasionem inueniebant in Gallia occupata, vbi eandem reges habebant quam Tacitus tribuit ducibus materiam magnificentiae per bella et raptus. Fundos maxime et thesauros regni omnemque suppellectilem regiam sibi vindicasse videntur, praedam autem et spolia occisorum militibus reliquisse aequa sorte diuidenda. ***

Utebantur etiam hoc quaestu suo quam prudentissime, dum minimam partem sibi seruarent unde alerentur, † reliquam illis
 ipfis

* L. BAIVVAR. Tit. II. cap. I.

** ad MARCVLF. Lib. I. cap. 2. pag. 857.

*** Hanc quae aptissima videtur, difficilis loci explicationem suppeditat Rorico monachus in *Lib. 2. de gest. Franc.* ap. DVCHESNE in Tom. I. Hist. Franc. script.

† Quandoque videntur in hanc liberalitatem adeo effusi fuisse aut minus attentum ad rem suam vt ipsi redigerentur ad incitas. Exemplum Ludouici Pii ab

ipsis militibus pro praemio et beneficio redderent, quorum ope et fidelitate parta essent haec omnia. Pecuniae usus aut nullus suppetebat aut rarissimus saltem et munerum quae maxime liberalis est species, ea sola idonea erat ad domandos animos feroces et vincendos gentiles libertatis suae adeo amantes tantaque aemulatione tenaces. Respondit instituto felicissimus eventus: Mox enim illos ipsos Francos, qui vel hoc nomine arrogato neminem se esse liberiorem gloriabantur, primos videmus subire iugum, blanda beneficii specie captos. In arte nimirum atque consilio eius instituti hoc primum erat, ut non contineret nisi usumfructum pro lubitu reuocabilem, et ruere videmus imperium simulatque in beneficiis certum ius atque perpetuum tribueretur, quod in Gallia factum est sub exitum Meroveae stirpis: in Germania labente Carolino regno: sub Conradis autem ampliatum* itaque confirmatum sub Ottonibus atque Henricis ut in vnum fere abiret cum eo quod ante esset precarium hereditas Salica s. vetus patrimonium. Alterum erat, quod honores et munera publica essent adiuncta quorum eadem ratio, arbitraria et temporaria, hoc simul efficiebat ut semper haberet regia dignitas quod sibi adesset in bello decus in pace praesidium. Tertium denique quod non appareret vincula neque vel onus impositum nisi quod omnium civium esset commune, scilicet ut deinceps essent, quod hactenus sponte egissent, regum fideles et officiosi in toga sagoque sectatores. Haerent interpretes fere omnes in definiendis feudorum attributis et misere torquentur in distinguendis essentialibus naturalibus et accidentalibus, neque animaduertunt hanc disputationem in circulum

Aimoino traditum *Lib. 5. cap. 3.* vel ideo memorabile est, quod ea occasione Carolus Magnus villas suas instituit quorum oeconomiam prolixè exponit in Capitulari de villis et curtis Imperatoris v. GEORGISCH, *Corp. iur. Rom.* p. 607.

* *I. Feud. 1. L. Longob. Lib. 3. Tit. 8. l. 4.* cf. THOMAS *de libri vet. de benef. autore etc.* §. 27. 199.

culum abire et exitum nullum habere quod principio est destituta. Quid sit feudum eiusque essentia etiamnum quaerimus et hoc veluti caput esse debebat omnis controuersiae ac disputationis. Si dixeris vsumfructum esse fundi * fiscalis, originariam tenebris beneficii rationem et si addideris concessum nobilibus ** sub placitis quibuslibet legibus, satis distinctum habebis tum ab aliis largitionibus fisci et beneficiis omnibus cum maxime a censualibus bonis. Reliqua omnia putamus contingentia, quae pactis singularibus accesserunt et vsu curiarum: variata pro temporis ratione et arbitrio contrahentium, ex folis literis inuestiturae cognoscenda. Praeterea igitur quicquid adieceris semper aberrabis aut ab antiqua illa beneficiorum indole aut a recentiorum et oblatorum maxime feudorum ratione, neque vllam inuenies quae vtrique respondeat et seculis omnibus conditionem. Quid enim? Objicis forsitan successio- nis diuersitatem: itaque non animaduertis quod plane non succederetur in beneficiis illis antiquis, nisi ex nova concessione qua liberos aiebant *revestiri* ipsasque allodiales terras ad solos masculos atque agnatos peruenisse ** nunc autem et foeminina habemus et hereditaria feuda. Sin arridet magis fructuosa tributorum immunitas, respondeo seruis et libertis vectigalia fuisse imposita, et populis victis: Gallorum et Romanorum terras tributarias dici, Francorum autem vel ipsum nomen, propriasque terras (*Franc-aleu*) vniuersalem tulisse ab omni tributo et subiectione immunitatem; saltem hanc Valesii doctrinam confirmari putamus haud leuibus argumentis *** a Gregorio Turonensi peten-

B 2

dis

* II, Feud. i. cf. THOMAS, *Orig. Feud.* §. 1. et 16.

** L. ANGL. et WERIN *Tit. 6. de alodibus* et peregre sunt recepta quae de aequalitatis favore et promiscua foeminarum successione primo omnium proponit lex Wisigothorum, uti pleraque huius legis capita, cf. ALTESERRA *de feud: Gall. c. 2.*

*** vid. quae pro illo contra Paschasium disputat THOMAS: in *Orig. Feud.* §. 20. not. c.

dis. At, instas, militabant Franci, et omnes quidem: ergo non soli vasalli. Militiae et armorum usum ingenui et ciues Germaniae singuli habebant praecipuum; neque hoc neque illo significato iuri patrio conuenit *feudi franci* idea quam DD. ex loco iuris Longobardici comminiscuntur. Equidem propius aberrabis a vero si militiam equestrem cum gladio tribuas vasallis nobilibus, pedestrem dicas cum hasta s. framea allodiorum possessoribus et ciuibus omnibus communem: si obserues illorum qui beneficia et honores subiissent, assiduam fuisse regis festationem, ministeria perpetua atque* illimitata, reliquos autem non pugnasse nisi pro aris et focus neque cum rege ultra fines perrexisse nisi in bello patriae communi et ab vniuerso populo decreto: Ita etiam explicari poterit difficillimum illud argumentum de ratione militiae veteris et conciliari quod omnes recte seruant de equestri vasallorum militia, cum locis Taciti ubi dicitur praecipuum robur nostris apud peditem fuisse, itemque de assiduo comitatu iuuenilis turbae. Atenimvero quam longe haec absint ab hodierno militiae atque feudorum instituto facile intelligitur, nec quidquam video amplius opponi posse praeter celebratam illam fidelitatis legem. Sane manifestum est hoc maxime elogio contineri officium quod pro acceptis beneficiis reddendum est, et correlatorum cum eadem sit ratio, quae supra diximus de beneficiorum indole atque consilio huc quoque sunt repetenda. Fidelitas vti grammatice significat omnem fidei seruationem ita etiam maioribus nostris amici atque fideles dicebantur omnes foederati cognati familiares et quicumque alterius clientelae et benevolentiae se dedidissent: scilicet** omnis vasal-

* Sane hoc idem est vinculum quod Itali deinde vocarunt *ligium* et quod in formulis recentioribus ita definitur, vt seruiant *contra quoscunque nemine exceptio*. cf. Illustriss. Com. Vicedom. ab ECKSTAEDT Disp. de *feudis ligiis*; et cum hoc loco maxime conjuncta est illustris quaestio de neurris partibus sequendis V. KEMMERICH Disp. de *neutralitate statuum Imperii &c.*

** LVDWIG de indole feudorum cap. 2. §. 7.

vasallus fideiis sed non omnis quondam fidelis illico vasallus. Primum eius quam nos quaerimus fidelitatis exemplum sine dubio habetur in spontanea illa et officiosa iuuenum sectatione qua Taciti aetate ingenui iuvenes viros egregios et virtute eximia nobiles comitabantur, pro stipendio nil merentes nisi epulas et spolia si quae obringerent opima. Deinde autem quod comitum illorum famularis turba proxima esset ad capeffenda fisci beneficia atque honores, vasalli casati distingui coeperunt ab erroneis, et quae prima erat quasi personalis fidelitas ea sensim paulatimque prorfus evanuit. Accessit cum religione iurisiurandi vsus et statim videmus fidelitatem iurari, episcopis etiam et ab omni rustica multitudine, vti * monumentis constat quamplurimis: In Capitularibus obuia est locutio qua compellantur comites vasalli *aliquae fideles* ** et ipsa formula iurisiurandi breuissima illa populoque vniuerso communis solum continet fidelitatis nomen, nullam definitionem. Equidem diu non omiserunt Carolinae stirpis imperatores iuramentum illud amplificare latiusque exponere fidelium officia; et quae recentioribus adjecta est singularis beneuolentiae formula *hold und geuwaertig*, *** ea referri debet ad ministerialium familiaritatem et seruiendi conditionem: At nusquam apparet ingenuum iurasse obedientiam l. subjectionem; et prima saltem aetate hoc solum interfuisse videtur inter iuramentum vasallorum et baronum s. reliquorum fidelium, quod illi iurarent in manus regis † reliqui coram missis s. comitibus prouinciarum in reliquias sanctorum; et veri est simillimum ab hoc ipso iurandi ritu †† a ligata s. vestita manu fideles regios dictos esse *vassos*, indeque oriundum no-

B 3

strum

* GREG. TVRON. *Lib. 3. cap. 14. Lib. 6. cap. 11. Lib. 8. Cap. 31.*

** Capitul. Car. Calvi *Tit. 15. 37. et 53.*

*** In monumentis nostris solis ingenuis officialibus tribuitur *dienstgeuwaertig*. Seruis autem et colonis censualibus *dienspflichtig und zinsbar*, et iunguntur passim *holde und diener*. cf. HALTAV'S, *Glossar.* ad h. v.

† V. MARCVLE; *Lib. 1. form. 40.*

†† Depictam eius ritus imaginem ex Montefalconio in fronte libelli exhibet laudata Disputatio *de feudis ligiis*.

strum *Veste*. Neque obstat quod Thomafius * obicit vaffos leodes et homines quandoque transferri ad omnes qui feruiunt, nec quod inuerfa ratione illi ipsi regum ministri et imperii proceres feruientes, imo ferui dicuntur. Illud enim tribuendum est imperitiae fcriptorum eius aeu, qui magis folliciti et diligentes fuerunt in feruandis et commemorandis rebus ecclefiasticis quam in publicis et politicis: hoc autem inuidiae baronum qui male intellecta libertatis aemulatione honeffiffimam quamque miniftrandi conditionem alto fupercilio contemnerent omnemque abhorrerent laborem aliis inferuientem. Eadem est aut coniunctiffima faltem cum ligio illo vafforum iuramento formula commendationis. Hac enim fiue obuam iuerint regi eligendo qui confirmari vellent in beneficiis atque honoribus, fiue poft electionem et iuratam fidelitatem conceptis verbis fe commendarent, ea formula hoc potiffimum actum atque exoratum effe videtur vt qui fe deuouiffent domino ab ipfo inuicem reciperentur in tutelam, et fi hoc folemnif regis fponfione impetraffent hoc folatio fecuri et *trufte* dominica tuti *an-trufitionum* nomine infigniebantur. Proftat eius fponfionis tutelaris formula apud Marculfum ** ibique tutela f, *trufte* dominica non nifi illis decernitur qui hominum illud iunctis manibus praefitiffent. In locis fere omnibus vbi fideles inueniuntur ita iuraffe iidem dicuntur fe commendaffe; *** quin ipfa illa manuum ligatione, in illuftri Taffilonis ducis exemplo commendatio facta effe dicitur. Tantum igitur abeff vt mutua fidelitas et contractus idea quaeri poffit in beneficiis, vt potius ea omnia referenda fint ad recentiorem et inuerfam plane feudorum

* in *Orig. Feud.* §. XI. et XIII.

** Lib. I. form. 18.

*** AIMOIN, Lib. 4. cap. 64. Latiori fignificatu bona dicuntur *commendata*: veriffime quidem de beneficiis fifci, vt apud Gregor. Turon: *Lib. 7. cap. 22.* vbi dicitur *publicarum effe quod commendatum habuerit Eberulfus*, fed alibi etiam res omnes alterius cuftodiae creditae huic dicuntur commendatae. v. GANGLI Gloff. h. v. et HEINECC. Lib. II, Elem. §. 362.

rum oblatorum rationem, quae ius Longobardicum omnino ignorat, in quibus omnia pendent ab eo quod sibi stipulantur offerentes, ubi mira occurrit pactorum varietas de qua et de damnis inde secutis Francogalium noster proposito exemplo Italiae et Ducis Sabaudici (Lib. II. cap. 1.) ita concludit: *Par une raison semblable le corps entier de l'Empire ressent depuis long-temps les suites facheuses de l'inegalité que des loix modernes ont établie entre ses membres: elle peut avoir encore des effets plus funestes a la liberté commune.* Quicquid eorum sit, satis putamus probatum, fidelitatem fuisse primam inter nostros unionis formulam: arctius autem commendationis atque solatii vinculum sub liberali foederis specie sensim paullatimque iugum imposuisse vasallis, in quorum assiduo comitatu et singulari fide omnis collocata esset imperandi potestas: ipso regio nomine aequae ac imperatorio illo apud Romanos non nisi variis titulis atque elogii peregrinis ut plurimum collecto a Chlodovaeo inprimis, in Pipino autem pontificum et episcoporum consecratione confirmato. Liberatos videmus ruente imperio Carolino, mox ipsos bona sua iam hereditaria facta et propria iterum offerre in clientelam, iterumque pro feudis recipere aucta amplissimis superioritatis territorialis iuribus, ita quidem ut nunc vera videatur quae ante simulata esset foederis inaequalis species. Idonei sunt huius sententiae auctores Grotius et Monzambanus a quibus parum recedere videntur Hertius et Thomasius *de feudis oblati*, et manifestum est, in iis demum hereditariis et oblati bonis feuda constituisse certo definito atque perpetuo iure cuius primam delineationem reliquit Auctor Vetus de beneficiis: Nigrum autem et Obertum inter peregrinos errores et commenta quamplurima longe alienos fuisse ab illa doctrina horumque feudorum patriorum notitia, neque adeo felicem diu expectatam Minuccii Reformationem Sigismundo Imp. oblatam et a Schiltero demum editam. Sed nunc dicendum est de huius nostrae descriptionis occasione:

Annuen-

Annunte Deo factum est vt regio beneficio ornarer altero sub exitum periodi, cuius initio primum accepissem. Decreta mihi prouinciâ iuris feudalis docendi nulla obtingere poterat magis optabilis, tum propter arctissimam eius conjunctionem cum vniuerso iure patrio, deliciis nostris, tum propter eminentiam loci quam maxime habet à dignitate antecessorum, inter quos Ill. Gutschmidium, Hommelium Filium et B. Siegelium promotorem nostrum vel nominasse sufficit vt intelligatur, propostâ hic esse exempla virorum quibus difficile est succedere. Quam laetor praeterea hunc meum diem in publicam incidere felicitatem, vbi cum AVGVSTO pax alma redit: redeunte sole nox atra pellitur fugiuntque immanes curae. Plaudite o boni! plaudite ciuibus cum Principis Optimi clementi imperio redditam sibi vitam, restitutum patriae decus gratulabundis et mecum supplicate pro salute publica. Ita Vos RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE ILLVSTRISSIMI COMITES VTRIVSQVE CIVITATIS PROCERES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMILITONES testes velim pietatis nostrae munerisque rite auspicandi rogatos, et ad audiendam orationem qua *studiosum iuris patrii maxime bonum ciuem* laudabo, obseruanter humanissimeque inuitatos. Dabam Dom. Iudica A. S. MDCCLXIII.



Leipzig, Diss., 1763(1)

vd 18

ULB Halle

005 308 925

3







1763, 210
280
266

A Ω
FIDELITAS AC COMMENDATIO
PRIMA FOEDERIS FORMVLA
IN PROPRIIS ET FISCALIBVS BONIS

PROLVSIO
QVAM
ORATIONI ADITIALI

A. D. XXIII. MART. A. S. MDCCLXIII. HORA IX.
IN AVDITORIO PETRINO
RECITANDAE
PRAEMITTIT
D. CAR. RVDOLPH. GRAEFE
IVRIS FEVDALIS PROF. PVBL. ORDINARIVS
SVP. CVR. ET CONSIST. ADVOCATVS

LIPSIAE
EX OFFICINA BVSCHELIA.

